

hinc traxit & Berardus *Sylvanus* Eboliensis, Geographicis multis operibus præclarus. Item Poeta *C. Sylvanus*, qui in statuum Leonis X. sylvam edidit, & Pontificatus Clementis VII. panegyristes extitit. Quæ Romæ prodierunt 1524. Ita Poeta, & orator insignis fuit Ant. *Sylvius* Parisin. cujus comica plura, elegiaca, & epigrammatica extant. Quoniam verò nos Itali sylvam interdum *La Foresta* vocamus, subit idèò memorandus Petrus de *Foresta*, qui ex Abbate S. Dionysii Tornacensis Episcopus, de in Rothomagensis, S. R. E. Cardinalis, titulo XII. Apostolorum, Anno 1355. enunciatus est ab Innocentio VI. Ejus gentiles florere Brixia Comites, & Equites; ut tradit suavissimus exacti seculi vates P. Franc. Spinula. Nec excidit mente *Sylvius* Albanorum Reges ab eisdem *Sylvigeris* stationibus denominatos, cujus rei ratione Sulmonensis assignat, de *Sylvio* Aeneæ filio, Ascaniiq; fratre, & ejusce nominis primoloquens.

*Posthumus hinc, qui quod Sylvius est natus in altis,*

*SYLVIVS in Latia Gente vocatus erat.*

Hinc cognominati sunt Aeneas ille *Sylvius* Polygraphus, qui post tot Voluminum editionem ad Petri thronum assumptus Pius II. dictus est; atque Bartholomeus *Sylvius* Cremonensis cujus de Eucharistia scripta Oporinus impressit. Calamo quoque notum se fecit Jo. Baptista *Sylvagius* Reip. Venetæ apud Turcarum Imperatorem Interpres. Multis item, & eruditis scriptis clari sunt Jac. *Sylvius* Ambianus, & Barthol. *Sylvanius* Saionensis insignes Medici. Nec silentio prætereundum est ab eodem pariter fonte fluxisse nomen *Sylvia* scemineum, quo Ilia, seu Rhea Numitoris filia, Romulique, & Remi ex Marte, ut ignaviter Romanorum Priores credebant, Genitrix, appellata est. Quin & sic etiam vocata est mulier illa, de qua Virgilius,

*Sylvia prima Soror, palmis percussa Lacertos.*

Quibus addenda est & *Sylvia* Marcelli, de qua, ad sylvam alludens, canit Marianus.

*Retibus, & iaculis sylvas Macelle frequentas,*

*Dum tibi nobilior Sylvia Sylva domi est.*

Quod nomen usitatius factum multis quoque nostrorum temporum mulieribus cõmune comperitur; *Sylvaticus* porrò idem est ac *Sylvestris*, & ejusmodi voce usus est Bapt. Mant. de D. Joan. Chrysofomo canens.

*Per spelea diu traxit sylvatica vitam.*

Cum verò *Sylvatica* ejusce modi loca, vel in via, præruptaque sint, aut intrà Motium cavitates situata, Græci τὰς βάπαις indigent, exinde *Napæa* antiquorum illæ *sylvicultrices* deæ, nominete nus pendere asseveranda sunt; ut *Dryades*, *Hamadryades*que à generalissimo Arboris nomine Δρυς, (undè *δρυαίς* & *δρυαίς*, *δρυαίς*, ac *δρυαίς*, item & *δρυαίς* ac *δρυαίς* sylvia dicitur) quod & de *sylvicolis* hominibus, ac *Sylvifrago* Borea enunciandum venit. Nec hæc tantummodo *sylvestria* simul, & fatua numina à *sylvescentibus* iisdem locis nominis habent originem, verum ut quodammodo purgarentur sylvæ, apud nos veræ legis, & immaculatæ, sectatores jure merito in Sanctorum albo relatus colitur ille probissimus ab Apostolo Petro trigessimus quartus Pontifex Catholicus, Romanus, Divus inquam SYLVESTER, cujus nomen utrum à *Sylva* procedat, puerile foret ambigere; Et si de falsis illis deitatibus cum Marone dici potuisset.

*Diæta nympha nemorum jam claudite saltus.*

Sic de isto Sanctissimo Pontifice concludendum foret, illud Valerii Flacci in mediũ afferentis.

— *Nec celsius extulit ulla — Sylva trabes.*

Idem nomen in cognomen transit Bernardi *Sylvestri*, qui de Megacosmo scripsit, & *Microcosmo* librum; diversus, ni fallor, à Bernardo *Sylvestri* cujus extat epist. de cura, & regimine rei familiaris impressa in Vol. Op. S. Bernardi, quia nonnulli putarunt eam à S. Bernardo compositam fuisse. Sub eadem etymologia continetur & *Transsylvania* amplissima trans Danubium Europæ Regio, quæ & Dacia, & Pannodacia, ac Valachia nuncupata est. Sic dictam existimarim, quasi *transylvas constituta*. Citrà enim numerosa visuntur, & confertissimæ sylvæ. Hinc Ortelius in descriptione Hungariæ dicebat. *Ibi jam alii montes, & sylvæ ab eo loco Severimum versus tendentes, à Transsylvania, & Valachia Transalpina separant.* Imò sylvarum nonnullæ apud antiquos quoque regionibus integris nomen dedere. Sic *Pierium* nemus *Pieriam* Macedonia regionem; Hyrcana sylvæ Hyrcaniam Asiæ provinciam denominarunt.

A luco frondosissimo loco, & umbris Arborum lucè subtrahentibus telluri pleno, & sic idèò per antiphrasin dicto, quod luce careat, *Lucina*, scilicet Juno dicta fuit, quæ sterilissima parientibus insulsissimè prodesse credebatur, & in luco Romæ Exquil. colebatur, ex Ovidii testimonio.

*Monte sub Exquilio multis incadnus annis, Junonis magna nomine lucus erat.*

*Lucetius* eodem pacto cognominatus est Jupiter à quamplurimis eidem sacris lucis; quo nomine vocatus est apud Virgilium miles quidam strenuus ex Turni sequacibus, quem Tros Ilioneus occidit. Ita Poeta.

*Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis, LUCETIUM porta subeuntem agnesque ferentem — Stravit.*

Et *Luceres* Populi, tertiæ Tribus Homines à lucis condendis, & ab Asyli præcipuè, luco appellabantur, referente Plutarcho. Ita *Lucania* nostræ Italiæ Regio, omnibus ad benè vivendum uberiolem concernentibus commoditatem fertilissima, quam hodie *Basilicata* basilico, seu regio nomine vulgus appellat, inter Calabriam, & Apuliũ; nec non *Lucum* oppidũ Romandiolæ, quod etymon adhuc servat, *Lugo* nuncupatum, & *Lucaris* pecunia, pretium nimirum ex lucis captatum, dicta exindè palam est, ut & fons *Lucalis*, de quo Bonifacius.

*Nemius fons, LUCALIS, Vadimonius atque Larius annona spemque, metumque ferunt.*

Sunt & *Lucania* festa, sic dicta quod in luco quodam apud Romanos peragerentur, in memoriam salutaris occultationis, quæ Romani sibi consuluerunt, dum à Gallis victi, in eodem luco latitarunt. Quin & ipse doctissimi Tragediarum scriptoris Senecæ nepos, gravissimus orator, & Poeta *Lucanus* eadem quoque ratione nomenclaturam habuisse non perperam censeret. Cujus cognominis fuit Franc. *Lucanus* Parmensis, qui scripsit de crimine læsæ majestætis. A luco porrò cognomè sumpserunt Floren. *Luc.* Episcop. Feltræ, ac Franciscus *Lucus* I. C. qui scripsit de Gueffis, & Gibellinis, de Tyranno, & de Regimine Civitatis. LUCEIAM mimam non immemoratam linquant historici; quare & nos cum Mariano nostro de ipsa canemus.

B 4

Vi

Spinul. Car. secul. 9. & in Catulli Imitat. Poem. 18. Ovid. l. 4. Fast. Laur. Bey. erl. in Thea. Vit. Hum. Tom. 3. E. pag. 25. 1. f.

Æn. l. 7. Jonston. Thaumatrogr. de Pl. c. 6. Marian. stat. Rom. l. 1. Ep. 56. Mant. de Sacri dieb. l. 9. in Sep. semb. Ath. l. 3.

Ec. l. 6.

de Hybla.

Lucus unde dicitur.

l. 2. fast.

Æn. l. 9.

in Romul.

Musar. l. 3. num. 58.

Selem. part. 2. Fest. Pomp. Balch. Bonif.

Musar. l. l. 8. nu. 100.